

aut a S. Thoma Aquinate , aliisve præcipue Catholicis adseritur . Nempe Regnum Christi , aut Ecclesiam Dei significat , quam constituant tam viventes , quam mortui in Christo ; aut quod alii veri videntur similius , Ecclesiam dumtaxat triumphantem in Cœlis , quam Justi post Christi mortem ac ascensionem implere coeperunt , & augebunt , usquequo humanis rebus finem imponat gloriosus Christi judicaturi Adventus : Neque enim aliud *Mille annorum numerus* significat , ut SS. Patres docuerunt , nisi tempus ab initio Ecclesiæ futurum usque ad finem Mundi . Dum fluit hoc tempus , *Animæ decollatorum propter testimonium Jesu regnare & regnabant cum Christo* . Nisi vim facere verbis Apostoli negare nequeas , quin ille nobis exhibeat Sanctos regnantes , non viventes in terris , sed jam morte præreptos ; & quoniam *Animas* ait , satis indicat , se de iis agere , qui nondum per resurrectionem in fine Mundi eventuram , corpora resumserint . Atqui ejusmodi Sanctorum Animæ regnare dicuntur *cum Christo* , id est futurae tanquam Reges , donec supremi Judicii dies adveniat : quid aliud , quæso , rite interpretari possis , nisi magnificam eorum Gloriam in Cœlis , exemplo a terrenis , Regibus deducto , qui supra ceteros mortalium splendere , felicelque esse putantur ? Quod præsertim de Sanctis verum sit necesse est ; quando *regnare* dicuntur *cum Christo* , quem certo novimus esse in Gloria Dei Patris . Addit S. Johannes : *Beatus & Sanctus , qui habet partem in Resurrectione prima : in his secunda mors non habet potestatem* . Ergo duplēm Resurrectionem Johannes nobis exhibet . Prima Justos morientes tantummodo respicit , quorum Animæ e mortali ac terrena habitatione hac emigrantes , ad immortalē & beatissimam in Cœlis vitam resurgunt . Altera deinde Resurrexio erit Justis , quem in excidio Mundi Corpus resumentes , illud quoque ad immortalitatem ac Beatitudinem , judicante & jubente Christo , perdūcent . Duplicem similiter mortem Apostolus statuit . Prima mors tam Justis , quam Improbis continget , quum nempe Animæ separatur a Corpore . Mors altera , quum Impiorum Animæ una cum Corpore in æterna supplicia trudentur ; quæ Mors secunda potestatem non habet in eos , quibus *Resurrectio* prima donata est . Dilucide vero inquit S. Jo. quid futurum sit post *Mille annos* , dum subdit : *Et quum consummati fuerint Mille Annī , solvetur Satanas de carcere suo , & exibit , & seducet gentes . Habes heic dies Antichristi . Et vidi mortuos magros & pusillos , stantes in conspectu Throni . Et libri aperti sunt . Et iudicati sunt mortui ex his , quæ scripta erant in libris secundum opera iñforūm . En postrem ac solemne Christi Judicium in fine Mundi , toties in Voluminibus deprædicatum . Atque illud , non ante Mille Annos , ut Millenarii somniarunt , sed post , *Et Infernus & Mors missi sunt in ignem ignis . Hæc est mors secunda . Ecce Christi Judicis sententiam : Ite in ignem æternum , quæ in Peccatoribus completur . Et vidi Cœlum nūm &c.* Heic Cœlestis Patria , plenaque & perfecta Beatitudo Justis conferenda in Cœlis deseribitur , ad quam Justorum Animæ cum Corporibus*